

**2005-11-08 – SS Benedictus XVI – Epistula ‘Centesimus Iam’****BENEDICTVS XVI*****EPISTULA AD PETRUM S. R. E.  
CARDINALEM ERDŐ,  
ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSI-BUDAPESTINENSEM***

*Venerabili Fratri Nostro  
PETRO S.R.E. Cardinali ERDŐ  
Archiepiscopo Strigoniensi-Budapestinensi*

Centesimus iam appetit annus ex quo tempore Beatae Mariae Virginis imago de "Máriapócs" tertium illacrimasse perhibetur, evangelica monita confirmatura, cunctis hominibus bonam spem ministratura. Omnes sat sciunt Veneratum Decessorem Nostrum Ioannem Paulum II vehementer Beatam Virginem coluisse eiusdemque pietate flagravisse, plane pro comperto habentem complura beneficia ex hac re et superna adiumenta in fideles universos profluere. Idcirco primi pastoralis itineris tempore in Hungaria ad hoc sanctuarium Idem accessit ibidemque Byzantinam liturgiam undique fidelibus concurrentibus sollemniter egit.

Decet igitur ut eventus hic congruenter commemoretur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum animos ad ferventiores religionis sensum, firmorem fidem certioraque proposita permovendi.

Suasore ergo Venerabili Fratre Constantino Keresztes, Episcopo Haidudoroghensi, die III mensis Decembris sollemnem fore novimus ab illo eventu quem antea memoravimus centesimam anniversariam commemorationem, ut ecclesiialis ritus Byzantini communitas ceterorumque rituum fideles, inde fere sumentes vim, uberiiores fructus spiritales fundant.

Quocirca, ut sacra haec liturgia efficacius evolvatur, mittere aliquem eminentem virum statuimus, qui partes Nostras sustineat et personam agat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, istius Nationis inclitum filium cogitationem convertimus, qui prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, Missum Extraordinarium renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes et cohortationem ad Mariale studium significabis. Omnibus Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum nuntiatrix.

*Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Novembris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.*

**BENEDICTVS XVI**